

teri<sup>a</sup> silentium & paupertatem confessioni & beneficio præposuere. Eodem anno continuis imbribus auctus Tyberis plana vrbs stagnauerat. <sup>b</sup> Relabentem secuta est ædificiorum & hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus, ut libri Sibyllini adirentur. <sup>c</sup> Renuit Tyberius, perinde diuina humanaque obtegens: sed remedium coercendi fluminis Ateio Capitoni, & L. Arruntio mandatum. Achaiam ac Macedoniam onera deprecantis <sup>d</sup> leuari in præsens proconsulari imperio, tradique Cæsari placuit. Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris, ac suo nomine obtulerat Drusus præsedit, <sup>e</sup> quanquam vili sanguine nimis gaudēs; quod vulgus formidolosum, & pater arguisse dicebatur. <sup>f</sup> cur abstinuerit spectaculo ipse, variè trahebant; alii tædio cætus, quidam tristitia ingenii & metu<sup>g</sup> comparationis, quia Augustus<sup>h</sup> comiter interfuisset. <sup>i</sup> Non crediderim<sup>k</sup> ad ostentandam sæuitiam, mouendasque populi offensiones concessam filio materiam; quanquam id quoque dictum est. <sup>l</sup> Theatri licentia proximo priore anno cæpta grauius tum

## OBSERVATIONES.

**a** Multi potius, quàm domesticas angustias, & paupertatem suam nudent, & confiteantur, & beneficio nimis vulgato sint obstricti; silent, nec quibus rei familiaris angustias consistantur palam facere volunt. & hoc illud est, quod Tacitus appellat, silentium, & paupertatem beneficio præponere.

**b** Non cum flumen perpetuis auctum imbribus plana loca stagnat, tunc est periculum ruinæ: sed cum relabitur, metuendum est, ne secum ædificiorum, & hominum stragem trahat.

**c** Novus princeps diligenter operam det, ne, quarum rerum cognitio sibi obesse potest, ea vulgentur; nempe, quibus decretis nititur imperium suum, hæc semper obtegit, & recondi debent, quedam, scilicet, sunt, quæ ratio imperandi facit arcana.

**d** Videat princeps ne preces & iusta desideria prouinciarum onera deprecantium aspernetur.

**e** Sæuitia magna est, vel vili gladiatorum sanguine nimis gaudere; debet autem princeps, quàm maximè potest, amouere ab se suspitionem crudelitatis, qua generi humano nihil odiosius dici potest.

**f** Præstat omnino abstinere ab aliqua re, quàm in ea ita versari, ut, nec tibi, neque cæteris satisfacias.

**g** Princeps qua ex re decessorem suum magnam laudem adeptum esse videt, si eadem in re ipse, pari cum laude versari non potest, ab ea plane abstineat, ne superioris comparatione principis deterior illo appareat; ac proinde de sua existimatione multum ipse detrahat.

**h** Quibus rebus delectatur populus præsertim potens, iisque apud quem est caput rerum, ijs princeps si comiter intererit, rem multitudini gratam faciet.

**i** Historie scriptor etsi nequaquam reticere debet ea, quæ principi, fama, & sermone hominum atrocissima obiectantur, tamen se ea non credere affirmet. qua re & prudentem se, ac modestum esse demonstrabit; & consulet posteritati, quæ sibi nihil atrox im tandem proponet; cum quicquam tam durum ne factum quidem unquam esse quisquam inducere possit.

**k** Qui id agit, ut hominum offensiones in aliquem moueantur, is huic persuadeat, aut, si potest, cogat cum iis desummi muneribus, quæ per se sunt odiosa; easque illi præbeat vitiorum ostendendorum occasiones, quas scit esse maximas.

**l** Lingue peccantia semper histrionum adeo propria fuit, ut una proccacitate tota histrionalis artni videatur.